



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Titvlvs XXXV. De Pactis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

# TITVLVS XXXV.

## DE PACTIS.

### CAPITVLVM PRIMVM.

Antigonus.

#### PARAPHRASIS.

**A**cti inter Christianos inita seruari debent: & qui violare volunt, censuris Ecclesiasticis ad obseruationem compellantur.

#### SVMMARIVM.

*Ex pacto nudo secundum ius canonicum oritur actio, si tres conditiones concurrant. Prima est, si intentio promittentis fuit, se se ex iustitia obligandi. Secunda, si versetur promissio circa causam ad forum ecclesiasticum spectantem. Tertia, si causa adita, cur aliquid sit dandum, aut faciendum.*

**E**X hoc textu colligunt Canonistæ communiter, vt videre est apud Abbatem & Felinum hic, quod secundum ius canonicum ex pacto nudo, seu simplici promissione, si acceptata sit, oriatur actio, id est, ius petendi in Ecclesiastico iudicio, quod promissum est; Nam actio in iudicio concedenda est, si lex assistat promissioni factæ, l. legitima, 6. ff. de pactis, l. vn. C. de conditione ex lege. Atqui lex Ecclesiastica, siue canon assistit pacto nudo, & simplici promissioni, si acceptata sit, vt constat ex hoc c. & c. 3. eod. tit. Ergo ex pacto etiam nudo in foro Ecclesiastico actio concedenda est. Ratio reddi debet: quia pacta, & promissiones quæcunque, si ex obiecto malæ non sint, atque à promissario acceptatæ, obligant in conscientia, atque sub peccato mortali. Cum itaque in foro ecclesiastico Iudex præcipuè intendat animarum salutem, merito compellit pro-

mittentes ad conuentorum obseruationem.

Verùm hæc doctrina quibusdam declarationibus indiget: Prima. Quod actio ex simplici acceptata promissione oriatur, si promittentis intentio fuit se ex iustitia obligandi: secus autem, si ex virtute fidelitatis, aut veracitatis tantum promiseris alicui te donaturum, mutuaturum, tum is, cui promissisti, actionem contra te, seu ius exigendi tanquam debitum non acquirit, vt docui lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 1. Et verò cum hodie promissiones absque animo ex iustitia se obligandi facillimè ac frequenter fiant; quia promissis diues quilibet esse potest; inde accidit, vt Iudex Ecclesiasticus ad eiusmodi simplicium promissionum obseruationem raro compellat.

Alterà. Ex nudo pacto, seu simplici promissione secundum ius canonicum actio conceditur in causis, quæ seu ratione personarum, seu ratione materiæ ad forum Ecclesiasticum spectant: in alijs verò causis locum habere potest denuntiatio canonica, vt dixi cit. tr. 4. c. 2. in fine, & plura dici debent in c. nouit, 13. de iudicijs.

Tertia. Ex nudo pacto, aut simplici promissione actio conceditur, si causa adiecta sit, cur aliquid dandum, aut faciendum sit; vt si constet, Titium promississe se ex liberalitate mihi donaturum, mutuaturum, aut vaccam pro obsequio ipsi præstando daturum; tum obligatio, & actio inde oriatur. Sin verò absque causæ, seu tituli expressione tantummodo dixerit Titius, se mihi pecunias, aut vaccam daturum, non deasebitur orta obligatio & actio, nisi ex coniecturis præsumptio fiat, quod simpliciter donandi animum habuerit, vt tradit Mol. in tr. 2. de iust. disp. 257. n. 4. & 5. & videri possunt, quæ dixi in cit. cap. 2. num. 3.

Corol-

Corollarium. Si Titius mihi centum aureos promittit, ut Romam eam; iure civili non compellitur ad numerandam pecuniam; sed etsi numerauerit, per poenitentiam recedere potest, ac pecuniam repetere, antequam ego conditionem impleui, seu iter arripui; dummodò resarciat, si meà interfit pactum impletum non esse, si pecuniam, §. ff. de cond. dict. causa data, &c. Sed secundum ius canonicum, & forum conscientiae ita paciscens cogitur stare promissis; quamdiu altera pars parata est implere conditionem, seu promissum suum, ut bene docet hic Felinus declarat. septima, Couar. in c. quamuis pactum, p. 2. §. 4. n. 14. & dixi in cit. tr. 4. c. 3. n. 3.

## CAPITVLVM II.

## Quotiens.

## PARAPHRASIS.

Conuentiones, seu pacta, quae in Ecclesiis v.g. fiunt, Pontifex consensu suo postea praestito confirmare, & ratificare potest.

## SVMMARIVM.

*Conuentio aliquo modo valida, saltem iure natura, per consensum Superioris postea adhibitum validatur, & confirmatur.*

**D**isputant hic Doctores, vtrum consensus postea adhibitus actum ratificare aut confirmare possit. Bene respondent hic Imola, Innoc. in c. cum consuetudinis, de consuet. Bartol. in l. obseruare, n. 7. ff. de offic. Proconsulis. Vel actus secundum substantiam omnimodè, etiam spectato naturali iure, irritus est; & subsequente consensu non confirmatur, aut ratificatur: quia quod non est, id confirmari non potest; neque firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit, reg. 18. in 6. Vel aliquo modo validus est, saltem spectato naturali iure, tum consensu postea adhibito confirmatur. Sic enim alienatio rerum facta à Praelato, per consensum Capituli postea praestitum ratificatur, c. 3. de his quae fiunt à Praelatis, &c.

Item alienatio facta à Rectore Ecclesiae inferioris, confirmatur per consensum Superioris, (videl. Episcopi, aut Papae) postea adhibitum, arg. huius c. Vide quae dixi in c. prudentiam, 20. §. Sed ut haec, not. 2. de offic. delegati.

Sed obijcitur l. obligari, 9. §. Tutor. ff. de auctorit. tutorum, vbi dicitur, contractum pupilli non confirmari, si tutor auctoritatem postea praebet. Respondeo cum Gl. margin. in cit. c. 3. Innoc. in cit. c. cum consuetudinis; Auctoritatem plus aliquid esse, quam nudum consensum. Nam qui auctoritatem praestat, is principalis esse debet, ut absque eo actus valere non possit pro tempore, quo gestus est; licet valere possit pro tempore, quo auctoritas interuenit, uti Abb. hic annotauit.

## CAPITVLVM III.

## Qualiter.

**Q**uae promissa sunt, opere adimpleri debent. Vide quae dicta sunt in cap. 1. hoc titulo.

## CAPITVLVM IV.

## Cum pridem.

## PARAPHRASIS.

Inter Monachos de Acra, & Publium Clericum fratremque eius germanum controversia erat super Ecclesia quadam, & Cappella, quibus Publius, eiusque frater se à Monachis deiectos dicebant. Postea autem inter se priuata auctoritate transegerunt, ut Publius ac frater eius lite cederent; Monachi autem eisdem tres marchas argenti soluerent in compensationem expensarum. Eam postea compositionem seu transactionem Apostolica auctoritate confirmari volebant: Sed Alexander III. admittere noluit, eò quod illicitae seu simoniacae pactonis speciem contineret: Quamobrem alium partibus compositionis modum proposuit, ut videl. Publius pro se, & fratre suo liti renuntiaret, ideòque

que instrumenta authentica traderet, quæ super illa causa habebat; ipsis autem Monachi de alio beneficio prouiderent. Cùm autem Monachi compositioni huic non acquiescerent, mandauit Papa, vt nisi beneficium dictis fratribus assignent, ipsi ad Ecclesiam, & Capellam restituantur, si Iudicibus super hac causa delegatis constiterit, eos absque ordine iudiciario deiectos fuisse. Idque non obstantibus literis confirmationis, quas Monachi à Papa impetrauerant.

## SUMMARIUM.

1. Illicita & simoniaca est transactio, si propria auctoritate vna pars lite, & iure beneficiario cedat, altera verò temporale quippiam offerat.
2. Resignans ius suum v. g. beneficiarium, cogendus est tradere instrumenta.
3. Papa licet possit litigantes super beneficio per plenitudinem suæ potestatis cogere ad renunciandum & componendum, non tamen facile solet, nisi grauis causa urgeat.
4. Renuncians beneficio in manibus Superioris per transactionem, vt pars altera quippiam præstet, hac conditione non impletà beneficium repetere potest, & quidem propria etiam auctoritate, si resignatio facta sit in manibus Papæ.

NOTANDVM I. Illicita, & simoniaca censetur transactio, si propria auctoritate fiat, vt vna pars lite, & iure beneficiario cedat, altera verò temporale quippiam offerat, v. g. expensas factas restituat. Idque diligenter annotandum esse, monet Imola hic n. 2. quia sæpe tales illicitæ pactiones inlittuntur, quæ de iure non valent, sed damnatæ sunt, c. vlt. hoc tit. c. constitutus, 4. de transact. c. quæ situm, 6. de rerum permut. Sed interueniente Superioris auctoritate nihil prohibet talem transactionem inter partes institui, vt vna earum lite, & iure, si quod habet in beneficio, abscedat, altera ipsi expensas factas refundat, aut pensionem annuam soluat, vt

do cui lib. 4. tr. 10. c. vlt. n. 51. 58. & 59. & videri hic potest Innoc.

NOTANDVM II. Qui renuntiauit iuri suo, v. g. beneficiario, cogendus est tradere instrumenta; cùm ipsi prodesse amplius non possint. Ita etiam sumitur ex l. vlt. C. ad exhibendum, vbi generatim dicitur; quòd is, cui satisfactum est, cogi possit ad exhibenda ac reddenda instrumenta, quæ ad eam causam pertinent, quippe cùm ex ijs nihil iam petere possit. Ita Gl. hic ver. resignauit.

NOTANDVM III. Quamuis Sum. Pontifex litigantes super beneficio per plenitudinem potestatis suæ cogere possit ad renunciandum, & componendum, tamen id non facile solet; nisi causa valde intricata sit, vel diu litigatum, vel alia necessitatis causa urgeat: Imò tali casu etiam Iudex inferior compositionem imperare poterit, vt dixi in rubr. de treuga, & videri hic potest Abb. n. 6.

NOTANDVM IV. Si quis renuntiauit beneficio in manibus Superioris per viam transactionis, vt pars altera quippiam præstet, non impletà istà conditione, beneficium suum repetere potest; Imò verò propria auctoritate reassumere, saltem si resignatio facta fuit in manibus Papæ, sicuti in simili de permutatione beneficiorum dixi lib. 4. tr. 2. c. 17. n. 7. §. Hinc etiam, & videri potest Imola hic n. 7. Abb. n. 11. Gl. ver. restitui faciatis.

## CAPITVLVM V.

## Accepimus.

## PARAPHRASIS.

Sacris canonibus inimica, atque irrita est pactio, si quis ita in Ecclesia instituat, vt post mortem eius certum successorem v. g. cognatum suum habeat.

## SUMMARIUM.

Non valet pactum de succedendo in ecclesiasticis beneficiis; vnde etiam promissiones de beneficio nondum vacante prohibita sunt.

Cccc

sunt.

*sunt, neque Coadiutor Prælati dari potest cum succedendi potestate, nisi ex plenitudine potestatis papalis.*

**NOTANDUM Vn.** Pactum de succedendo in Ecclesiasticis beneficijs reprobatur, vti etiam constat ex c. ex transmissa, 7. de filijs Presbyter. c. 2. de concess. præb. & in c. Apostolica, 7. causa 8. quæst. 1. quibus habetur, quod Ecclesiæ, & beneficia ecclesiastica non per successionem veluti hæreditariam, sed per canonicam electionem, aut institutionem obtineri possint; & quidem non antè, quàm ea vacent. Quamobrem & promissiones de beneficio nondum vacante prohibita sunt, c. 3. de concess. præbendæ: Neque Coadiutor Prælati dari potest, cum succedendi potestate, vti tradit Trident. Concil. sess. 25. c. 7. de reform. & dixi de hoc in qq. disput. de elect. c. 4. q. 30. Excipitur verò plenitudo potestatis papalis; per quam talia fieri possunt, sicuti ex communi Imola monet in hoc c.

### CAPITVLVM VI.

#### Cum Clerici.

##### PARAPHRASIS.

Decedentibus Rectoribus quarundam Ecclesiarum, ex quibus pensio annua Collatori, v. g. Episcopo, solui consueverat, Clerici promittebant maiorem pensionem se soluturos, si instituantur. Hoc intellexit mandat Alexander III. Archiepiscopo Cantuariensi, vt talia impostero fieri prohibeat; qui autem contra prohibitionem, per detestabile eiusmodi simoniae vitium instituti fuerint, appellatione remota, ab Ecclesiis remoueat, atque ecclesiastica seueritate puniat.

##### SVMMARIVM.

1. *Simoniacum pactum est, si quis promittat pensionem annuam, vel augmentum pensionis antiquæ, si in beneficio instituat.*

2. *Ob rationabilem tamen causam potest Episcopus cum consensu Capituli pensionem vacantis beneficii augere, sed ante eius collationem.*

3. *Potest & monasterium, si in parochia v. g. sibi incorporata faciat inuestiri Vicarium, reseruatâ sibi pensione, auctio-  
nabiliter & constanter redditibus parochialibus, eandem augere; modo augmentum illorum non proueniat ex industria Vicarii.*

**NOTANDUM Vn.** Simoniacum pactum est, si quis promittat pensionem annuam, aut augmentum pensionis antiquæ se soluturum, si in beneficio instituat; Quia promittitur aliquod temporale pro spirituali, vti etiam constat ex c. vn. in fine. Vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Pro pleniore intellectu aduerte, quod interdum Ecclesiis, alijsve beneficijs pensiones impostæ sint, seu Papæ auctoritate ad subleuandam inopiam mensæ Episcopalis, vel auctoritate Episcopi, cum Capitali consensu, ad subleuandam inopiam fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, aut soluenda debita Episcopatûs, vti docui lib. 4. tr. 2. c. 18. q. 3. n. 4. Dicitur itaque in hoc c. si quispiam in tali beneficio instituendus promittat maiorem pensionem, quàm antè consueverat, se soluturum, vt institutionem facilius consequatur, pensionem fore simoniacam. Cæterum ob causam rationabilem necessitatis quandoque non prohibetur Episcopus cum Capitali consensu pensionem beneficii vacantis augere, si videl. maiores nunc quàm antea prouentus ex beneficio proueniant. Sed debet hæc auctio, & omnis impositio pensionis fieri ante beneficii collationem; quia si in ipsa collatione fiat, periculum est prauitatis simoniacæ, quando pensionis solutio in modum Collatoris directè, vel indirectè cedit, vti dixi in cit. c. 18. n. 5.

**QVÆRIT** hic Abbas Panormit. Si Monasterium v. g. in parochia sibi incorporata faciat inuestiri Vicarium, reseruatâ sibi pensione annua, secundum reddituum facultatem, vtrum

utrum auctis redditibus parochialibus pensio augenda sit. Et respondet affirmatiue, sicuti & vice versa, diminutis redditibus, pensioem diminui æquum est. Id verò intelligi debet primò, si auctio & diminutio reddituum notabilis sit, & non vno tantum, sed pluribus annis durans. Secundò, Si maior reddituum prouentus ex industria Vicarij seu beneficiati proueniat, pensio augenda non est, ne ipsi diligentia sua damnosa sit iuxta l. vt. C. de alluionibus, & notat hinc Gl. ver. pensiones, & in simili dixi lib. 3. tr. 4. c. 22. q. 5.

De pœnis, quibus collatio beneficij facta per simoniam obnoxia est, vide quæ dixi lib. 4. tr. 10. c. vt. §. 7.

## CAPITVLVM VII.

## Plerique.

## PARAPHRASIS.

Clerici tum regulares, tum seculares, domos suas locabant, aut feuda concedebant, pacto in præiudicium Ecclesiarum parochialium appposito, vt conductores, aut feudatarij decimas ipsis soluerent, vel sepulturam apud eos eligerent. Tale pactum Innoc. III. irritum esse decernit, præcipiens, vt quidquid occasione eius perceptum fuit, Ecclesiæ parochiali reddatur.

## SUMMARIUM.

1. Non tenet pactum cedens in alterius non consentientis præiudicium.
2. Prohibitum & irritum est pactum, vt quis extra suam parochiam in ecclesia regulari, vel seculari sepeliri debeat.

**NOTANDVM I.** Non valet pactum, quatenus in alterius non consentientis præiudicium cedit. Idque maximè verum est, si pactum priuatorum iuri publico Ecclesiæ repugnet, vt hic, & consentit c. si diligenti, 12. de foro compet. & l. inter, 42. ff. de pactis.

His adde, si decimæ ex tali pacto Clericis traditæ sint, quòd Parochus, cui decimæ debentur, agere possit vel contra Parochianos actione personali ex canone, vel contra Clericos decimarum possessores actione veluti reali, vt colligitur ex c. pastoralis, 28. de decimis, & c. Si quis laicus, 42. causa 16. q. 1. iuncta Gl. ver. inde abstrahere, & tradit Gl. in c. in aliquibus, 32. de decimis, vbi ait; *Pactum non nocet Ecclesiæ, quin à quolibet possessore possit petere decimas.* Vide quæ dixi lib. 4. tr. 6. c. 2. n. 4.

**NOTANDVM II.** Prohibitum atque irritum est pactum, vt quispiam fidelium extra parochiam suam in Ecclesia regulari, vel seculari sepeliri debeat, vt etiam habetur in c. 1. de sepult. in 6. & Clem. Cupientes, §. sanè, de pœnis. Licet enim quisque sepulturam in alia, quàm parochiali sua Ecclesia, eligere possit, c. 1. de sepulturis, non tamen promissione, seu fide data ad id astringi debet, vt Abb. hinc monet not. 2. & videri possunt quæ dixi lib. 3. tr. 5. c. vt. q. 2. & 3.

## CAPITVLVM VLT.

## Pactiones.

## PARAPHRASIS.

Irritæ sunt pactiones, quæ fiunt pro spiritualibus obtinendæ: quandoquidem etiam secundum leges ciuiles, pactum turpe, aut rei turpis, seu impossibile de iure, aut de facto, obligationem nullam parit.

## SUMMARIUM.

1. Turpe, simoniacum, & irritum est pactum pro obtinenda re spirituali. intellige, si vicissim detur res temporalis, vel spiritualis, cui temporale annexum est.
2. Promissio turpis, seu de re turpi, nullam obligationem parit.

**NOTANDVM I.** Turpe, simoniacum, & irritum est pactum pro obtinenda re spirituali, quod intellige, si vicissim detur res temporalis, aut spiritualis, cui temporale annexum est. Sin verò pro re merè spirituali

Ccccc 2

pro-

promittatur, aut detur alia res merè spiritualis, non est pactio turpis, aut simoniaca. Voco autem hic rem temporalem, quæ est pretio æstimabilis; rem autem merè spiritualem, cui nihil pretio æstimabile annexum est, vt sacræ reliquæ.

**Exemplis declaratur:** I. Si collatori v. g. Episcopo obsequia tua seu seruitia in vnum, vel alterum annum promittas, vt beneficium tibi conferat, simoniacum pactum est, quia pro spirituali beneficio promittitur temporale & pretio æstimabile seruitium.

II. Si quis Capellaniam collatiuam, aut non collatiuam propria auctoritate commutet cum beneficio v. g. parochiali, simoniâ committitur; quia commutatur spirituale cum altero spirituali, cui temporale annexum est, iuxta c. quæsitum, 5. de rerum permut. & explicauit lib. 4. tract. 10. cap. vlt. n. 51. Simili ratione, si Episcopus alicui beneficium conferat, eo adiecto pacto, vt sacræ reliquæ ipsi donentur, simoniaca & turpis est conuentio; quia res spiritualis, vid. sacræ reliquæ comparantur per beneficium, cui temporales redditus annexi sunt.

III. Si promittam me recitaturum tria rosaria pro Titio, ea conditione vt ipse pro me sacrificet, licita est conuentio; quia res merè spiritualis pro re merè spirituali promittitur. Simili ratione concessum est saceras reliquias cum alijs sacris reliquijs commutare: nisi vnæ reliquæ pretiosiora inuolucra habeant, tum periculum ac suspicio est, quod temporalis pretij ratio habeatur in commutatione, nisi appareat, gratis dari, seu condonari.

**NOTANDVM** II. Promissio turpis, seu de re turpi, atque inhonesta, nullam obligationem parit. Quia nemo potest ad impossibile obligari, reg. 6. in 6. Siue id sit impossibile de facto, vt cælum digito contingere; siue de iure, vt hominem occidere, sacrilegium facere. Consentit l. 26. & 27. ff. de verb. oblig. Generaliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti: Veluti si quis homicidium vel sacrilegium facturum promittat.

Sed aduertendum hoc loco est, interdum contingere, vt promissio pecuniæ ob causam turpem, dum ea pendens est, turpis & non obligatoria censeatur; sed post finitam causam, seu impletam conditionem obligare incipiat; ideoque nec repeti possit, quod ob talem causam datum fuit. Vt si promiseris mulieri pecuniam te daturum, si corporis sui copiam faciat, nulla oritur obligatio, cum promissio sit ob turpem causam: sed postquam causa, ob quam promissio facta est, completa fuit, tum obligaris ad soluendum, & quod soluisti, repetere non potes: Quia licet turpiter illa faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix, ait Vlpian. in l. 4. in fine, ff. de condict. ob turpem causam, & copiosius dixi in lib. 3. tract. 4. c. 4. assert. 8. §. Veruntamen. Videre etiam potest Bartolus super cit. l. generaliter, 26. ff. de verb. oblig.

**CAPITVLVM I. cod.**  
Tit. in 6.

**Pactum.**

**PARAPHRASIS.**

Religiosi alicuius Monasterij, qui ex priuilegio Apostolico liberam habent facultatem in sua Ecclesia sepeliendi parochianos, pacti sunt cum Rectore parochialis Ecclesiæ, quod vel omnes parochianos, vel certos aliquos ad sepulturam recipere nollent: dubitatum fuit, vtrum hoc pactum Monachi seruare debeant, ideoque si parochianus apud ipsos sepulturam elegerit, recusare debeant. Affirmatiue respondet Gregor. IX. Quia per pactum istud accepto priuilegio derogatum fuit.

**SUMMARIUM.**

1. Priuilegio Apostolico priuilegiati renunciare possunt, si eorum tantum commodum seu fauorem concernat.
2. Rector Ecclesiæ, siue Parochus etiam

*ne Superioris auctoritate pacisci potest  
in fauorem & commodum ecclesie sue.*

**NOTANDUM I.** Priuilegio Apostolico priuilegiati renuntiare possunt, si eorum tantum commodum, seu fauorem concernat. Consentit *c. Cum M. 9. de Constit. c. si de terra, 6. c. accedentibus 19. de priuileg.* Quia liberum est cuique iuri suo renuntiare, cit. *c. si de terra.* Accedit, quod renuntiatio hæc priuilegij ideo facilius admittitur, quia per eam reditur ad ius commune, quod fauorabile est. Etenim spectato iure ordinario, ad solas Ecclesias parochiales ius sepeliendi parochianos spectat; ad alias autem Ecclesias Collegiatas, aut Conuentuales non nisi ex priuilegio, vti docui lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. vlt. n. 3.

Obijcies: Parochiani habent liberam facultatem eligendi sepulturam extra parochiam suam, *c. 1. de Sepulturis*: Ergo non possunt repelli, si voluerint sepeliri in Ecclesia eius Monasterij, cuius incolæ priuilegio renuntiarunt: quandoquidem pactum non obligat, quatenus cedit in præiudicium alterius non consentientis, *c. penult. extra, hoc tit. Resp.* Quod Parochiani eligere possunt sepulturam non in omni Ecclesia, sed in ea tantum, quæ ius sepeliendi habet: At verò Monasterium ius sepeliendi perdidit, postquam priuilegio suo renuntiauit. Accedit, quod licet Parochiani ius habeant extra Parochiam eligendi sepulturam, si admittantur; non tamen cogere possint, vt recipiantur, sicuti Anchar. & Dominic. hic notarunt.

**NOTANDUM II.** Rector Ecclesiæ, siue Parochus etiam sine Superioris auctoritate pacisci potest in fauorem & commodum Ecclesiæ suæ. Ita colligitur ex hoc textu, & docent Ioann. Andr. & Petr. Anchar. hic in princ. Domin. Geminianus in fine, & sumitur ex l. non eo minus, 14. C. de Procurator. vbi habetur; Licet sententia lata contra Minorem natu agentem per procuratorem absque tutoris auctoritate non valeat, iuxta l. 1. & 2. ff. Qui legit. person. standi & c. valere tamen, si pro Minore pronun-

tiatum fuerit: Quia lex, quæ minoribus læsis ob ætatem subuenit, non rebus prosperè gestis obesse debet. Ecclesia autem iure Minoris fungitur, *c. auditis, 3. de in integr. restitut.* Quare de ea dici potest, Licet administratores, vel Rectores eius obesse ei non possint alienando, absque Superioris auctoritate, vti constat ex *c. Abbatibus, 41. causa 12. q. 1. & docent DD.* nominatim Abb. in *c. 1. n. 5.* De his quæ fiunt à Prælati & c. posse tamen Rectores Ecclesijs suis prodesse acquirendo, v. g. donationes aut debitorum remissiones acceptando, vti etiam dixi lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 1. coroll. 2.

## CAPITVLVM II.

## Quamuis.

## PARAPHRASIS.

Licet lex ciuilibus improbet pactum inter patrem & filiam, quod dum nuptui traditur, contenta dote paterna, hæreditati renuntiet, si tamen huiusmodi pacto iuramentum absque vi, & dolo accesserit, omnimodè seruandum est, cum sine peccato, seu salutis æternæ dispendio seruari possit, neque in alterius cuiuspiam detrimentum redundet.

## SUMMARIVM.

1. Legi improbanti pactum, quod filia contenta dote nullum ad bona paterna regressum habeat, per contrariam consuetudinem, aut statutum municipale derogari potest.
2. Pactum affirmatiuum de succedendo in hereditate, ne appositio quidem iuramento confirmatur; secus est, quando pactum est negatiuum de non succedendo.
3. Quis hæres necessarius si hereditati cum iuramento renuntiet, valida est renuntiatio, modo dolo, aut vis nulla interueniat; alterutro enim horum interuenien-



ueniente pactum renunciationis efficacem obligationem non parit.

4. In renunciatione filie maximè attendendum est ad causam, ob quam vel in cuius fauorem facta sit, si verbis expressum non sit.
5. In dubio interpretari oportet renunciationem, ut quàm minimè ledat renunciantem.
6. Iuramentum promissorium seruandum est, si absque dolo, aut vi præstitum, in salutis propria dispendium, aut tercia persone præiudicium non cedat.

**L** Ex improbans pactum, quòd filia cõtentata dote nullum ad bona paterna regressum habeat, est in ordine 3. C. de collationibus: Etenim propter bonum publicum Cæsaris legibus constitutum est, ut hæreditas pactis nec dari, nec auferri possit, l. hæreditas, 5. C. de pactis conuentis, l. si quando, 35. §. illud, C. de inoffic. testam., & videri potest Couar. in hoc c. princip. n. 1.

Verùm cum hæc constitutio non ex naturali, sed ciuili tantum iure sit, hinc sequitur primò: Quòd ei derogari possit per contrariam consuetudinem, aut statutum municipale. Qua ratione in Germania inter personas illustres ac nobiles vsurpatum est, ut pacta genulitia fiant, *Erbeingung* / quibus fæminæ accepta aliqua bonorum mobilium portione, resiquæ hæreditati masculis obuenturæ renuntient, ob familiæ conseruationem. Qua de re videri potest And. Gaill lib. 2. obseruat. 127.

Sequitur secundò: Quòd Princeps, qui in Imperio est Imperator, eiusmodi pacta, quæ de succedendo, aut non succedendo in hæreditate contra ius commune instituuntur, approbare possit, sicuti ex cõmuni docent Molin. tr. 2. tom. 3. priore, disp. 578. Gaill loco cit. Constat enim, Principem legibus non ita astringi, quin eis ex causa iusta derogare, seu dispensare possit. Quamobrem ob maiorem securitatem consuetum est in Germania, ut dicta gentilitia pacta imperatoria auctoritate confirmentur.

Discrimen autem est inter pactum affirmatiuum de succedendo in hæreditate, & inter negatiuum de non succedendo; quòd illud ne quidem appposito iuramento confirmetur, ita ut actio ex iustitia tribuatur. Quare si Titius Caio iuratus promittat, se hæredem ipsum institutum esse, ac postea mutata voluntate alium instituat, licet Titius periurij crimen incurrat, tamen valebit institutio, neque contra Titium, aut eo mortuo contra hæredem institutum actio concedetur. Idque merito ciuilibus legibus constitutum fuit, quia tale pactum de succedendo, cum aniam præbeat mortis machinandæ promissori, bono communi multum incommodare censetur, ut dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 3. c. 8. At verò pactum de non succedendo, seu renuntiatio hæreditatis, cum aniam mortis machinandæ nullam præbeat, iuramento confirmari potest, ita ut exinde actio oriatur contra renunciantem, sicuti ex cõmuni docet Petr. Ancharan. hic col. 2. Dominic. in Gl. fin. Couar. in hoc c. p. 3. initio n. 1. §. Igitur.

Sed pro maiore intellectu huius c. queritur primò: Cur de filia renuntiante duntaxat mentio fiat? Resp. Id exempli causa factum esse, quia frequentius filia, quàm filij hæreditati paternæ renuntiare solent. Idem verò omnino sentiendum est de quouis hærede necessario descendente, vel ascendente, si hæreditati sibi debitæ cum iuramento renuntiet, renuntiationem validam esse, sicuti ex cõmuni docet Couar. in hoc c. p. 3. §. 1. & 2. Requiritur tamen, ut renuntians pubes sit; at verò impubere ex iuramento non obligari ciuilliter, docent DD. in Auth. Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem, & Domin. hic col. 1. Gl. ver. seruari debet, Couar. p. 3. §. 1. n. 3.

Queritur secundò: Si aliquis ex descendentibus v. g. filius, vel filia hæreditati paternæ, aut maternæ omnino, & in totum renuntiet, nulla portione accepta, vtrum renuntiatio propter appositum iuramentum valeat? Negat Petr. de Ancharano hic col.

1. arg. huius c. ver. dote contenta. Sed distinguendum cum Dominico hic col. 2. Coar. §. 2. n. 6. Molina cit. disput. 587. concl. 3. parte 4. & disp. 579. n. 33. Si filius, aut filia aliunde bona habeat, vel per industriam suam, aut alio quouis modo acquirere possit, quæ sufficienter ad sustentationem, valet talis renuntiatio iurata. Sin autem filius vel filia bona sufficienter ad sustentationem non habeat, nec facile habere possit, tunc pactum renuntiationis, nisi alimenta necessaria excipiantur, iuri naturali repugnat, cui iuramentum præiudicari nequit. Atque ob hanc formatur casus huius c. de filia, quæ dote contenta, reliquæ hæreditati renuntiat; quia si aliunde marito vel Monasterio dotem (quæ instar alimentorum esse censetur) afferre non possit, hæreditati paternæ, aut maternæ renuntiare haud poterit.

3. QVÆRITVR tertio, Cur dicatur, iuramentum omnino seruandum, si neque vi, neque dolo adhibito præstitum sit. Respondeo, cum Dominico hic in fine col. 1. ideo sic dici; Quia si dolo, aut vis aliqua interuenit, licet iurans, ob reuerentiam Numinis diuini, ex Religionis virtute obligetur, potest tamen iuramenti relaxationem petere, vti docui lib. 4. Th. mor. tr. 3. c. 7. q. 5. Potest etiam Magistratus cogere eum, qui dolum aut vim intulit, vt iuramentum remittat, aut illo etiam nolente ipsemet Iudex relaxare, vti docui cit. tr. 3. c. 4. n. 3. & c. 11. n. 9. Exemplum doli est, si parentes persuadeant filia, minores esse facultates suas, quam reuera sint, vt contenta dote modica reliquæ hæreditati renuntiet. Exemplum illatæ vis, seu inuoluntarij mixti est, si ideo filia renuntiet hæreditati paternæ, quia nisi id faciat, dotem à patre consequi non potest. His casibus, pactum renuntiationis iuramento non confirmatur efficaciter: quamobrem filia, si iuramenti relaxationem impetret, hæreditatem sibi debitam petere potest; imò nepotes ex filio, aut filia, quæ renuntiauerat, iuramenti relaxatione non indigent ad petendam hæreditatem; cum iuramenti obligatio, utpote, personalis, illos

non afficiat; pactum autem renuntiationis, si per vim extortum sit, efficacem obligationem non pariat, vti obseruauit Couar. in hoc c. p. 3. §. 2. n. 6. Mol. cit. disp. 579. n. 14. 28. & 35.

Ad extremum, bene monet Couar. cit. p. 3. §. 3. n. 4. Andr. Gaill. p. 2. obseruat. 148. n. 4. Mol. cit. disp. 579. n. 19. Quod in renuntiatione filia, si verbis sufficienter expressum non est, maximè attendendum sit ad causam, ob quam facta, vel in cuius fauorem facta est; num potissimum in fauorem fratrum, tunc ijs mortuis filia admittenda erit ad hæreditatem, quia deficit conditio, ob quam iuri suo renuntiauerat. An verò in fauorem agnationis propagandæ; tunc non admittitur ad hæreditatem paternam, etiam mortuis fratribus, si agnatus lateralis supersit. An denique simpliciter renuntiarit in fauorem patris, vt liberè de rebus suis disponere possit, quia ipsa Monasterium v. g. ingressura est, tunc regressum non habebit ad capeendam hæreditatem paternam, tametsi omnes agnati ante patrem moriantur. In dubio autem ita interpretari oportet renuntiationem, vt quam minimè lædat renuntiantem; cum ea stricti iuris existat, vti ex communi docui lib. 3. Th. mor. tr. 5. c. 7. n. 2. vbi plura leges, quæ hoc loco omissa sunt.

His explicatis notanda est regula huius textus: Iuramentum promissorium inuoluntabiliter seruari debet, si absque dolo, aut vi præstitum, in salutis propriæ dispendiū aut tertie personæ præiudiciū non cedat. Qua de re plenè dixi lib. 4. Theol. moral. tr. 3. c. 6. & seqq.

## CAPITVLVM VI.

## Quia ex eo.

## PARAPHRASIS.

Pacta, & transactiones, quæ inter Religiosos mendicantes, & Prælatos, Capitula, & Rectores Ecclesiarum &c. super iuribus parochialibus, aut similibus articulis

calis inita sunt à Prioribus Conuentualibus, aut Guardianis cum consensu Cōuentus, rata esse debent & firmiter obseruari, tametsi Prouincialis, aut Generalis eorum, vel Sedis Apostolicæ assensus non accesserit, neque eiusmodi pacta in prouincialibus, aut generalibus Capitulis approbata fuerint. Idque propterea, vt dicti Religiosi puritatem suam conseruent, & scandala, quæ aliquin oriri possent, caueantur.

## SUMMARIUM.

1. *Hac constitutione priuilegia ab Alexandro & Honorio IV. Fratribus minoribus concessa, sunt reuocata; ea autem post Sixtum IV. eisdem restituit.*
2. *Quid in contractibus & alienationibus in Mendicantium Ordinibus obseruandum sit, ex cuiusque consuetudine & statutis, Apostolicisq; priuilegijs & decretis, Bonifacij VIII. constitutione posterioribus petendum est.*

**H**Ac Constitut. Bonifacij VIII. correctæ ac reuocata sunt priuilegia, quæ prius Fratribus Minoribus ab Alexandro

IV. & Honorio IV. concessa erant apud Rodriq. tom. 1. regul. q. 27. a. 3. Sed postea Sixtus IV. reduxit eos ad pristina iura & priuilegia apud eundem Rodriq. ubi ait: *Et sic in nostra sacra Religione Minorum obseruatur: Nullus enim Guardianus, neque Abbatissa etiam cum consensu suorum Conuentuum, aliquem contractum efficere potest, sine expressa P. Prouincialis auctoritate. Quomodum enim Rector Ecclesiæ Collegiæ inferioris præter consensum Capituli sui, impetrasse etiam debet Episcopi consensum, vt iura & bona immobilia Ecclesiæ suæ alienare possit, vt colligitur ex c. 2. de transact. ubi id docet Abb. n. 3. ita etiam Rector Monasterij subordinatus Generali, tanquàm Episcopalem iurisdictionem erga suos habenti, eiusdem quoque auctoritatem & assensum requirere debet ad alienationem. Is porro Generalis Prouincialibus suis potest, & frequenter committere solet, vt dictum assensum ipsimet præstent.*

Quapropter, quid in contractibus & alienationibus iurium suorum in Mendicantium Ordinibus obseruandum sit, ex cuiusque consuetudine & statutis, Apostolicisque priuilegijs & decretis, Bonif. VIII. constitutione posterioribus, petendum est.

## TITVLVS XXXVI. DE TRANSACTIONIBVS.

## CAPITVLVM PRIMVM.

Sicut graue.

## PARAPHRASIS.

**P**ersonæ quædam Ecclesiasticæ controuersiam, quam inter se de bonis, aut iuribus suis habebât, salubri transactione finierunt, petentes à Gregor. I. Pontifice,

vt eam auctoritate sua confirmaret. Quæ obrem respondit Pontifex, instrumenta omnia, & quidquid aliud est, quod parti vni aut alteri super causis transactione finitis fauere possit, iam pro irrito, & vacuo habendum esse, solamque transactionis conuentionem obseruandam. Sed et si in ea per incuriam, vel imperitiam defectus aliquis commissus sit, se illum Apostolica auctoritate & cōfirmatione ex certa scientia supplere.

NOTAN-